



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

2 Statutum vt confrater sine consensu fratris non possit confratrem in ius vocare, non est contra libertatem ecclesiasticam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

requirit ieiunium: quando quidem concedendo huiusmodi facultatem, vt etiam carnes, & oua huic privilegiato cibi quadragesimalis, & diebus ieiunij conuenientes sint, Papa concedere censetur.

TITVLVS XXXVII.

De immunitate ecclesiarum.

SVMMA RIVM.

- 1 Gabellas personales, vel de rebus suis, clerici non debent.
- 2 Statutum vt confrater sine consensu fratris non possit confratrem in ius vocare, non est contra libertatem ecclesiasticam.
- 3 Index laicus extrahens aliquem ab ecclesia exempta incurrit poenam, nisi restituat.

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 4.

Cum iure cōi canonico, clerici gabellas personales, seu portoria pro fructibus de suis hortis, arboribus & prædijs suis collectis, & amico alicui, vel domino, etiam extra territorium existentis non transmissis, aut pro rebus proprijs, quas intra territorium suum vendunt, solvere non debeant, c. negociatorem, & c. eiiciens. d. 88. & toto tit. ne cleric. vel monachi, & l. 1. & 2. & toto tit. ff. & C. de don. Pa. lib. 1. conf. 6. & Dec. cōf. 1496. sed solum pro rebus, quas negociandi causa, aut alio cōtractu non gratuito extra territorium vendunt, cle. vlt. de censib. non pōt Res publica nouum pedagium imponere, ita vt ecclesiasticus extra territorium, portorium seu pedagium soluere teneatur. Ita Nau. in Man. c. 17. nu. 201. Secus tamē si dolo, vel fraude excusandi portorium aliquod nomine doni mitteret, factō prius expresse, vel tacite pacto, vt is, cui mittitur, tantundem, vel plus remittat nomine doni: cū fraus, & dolus nemini patrocinari debeant, c. Sedes Apostolica. de refer.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 6.

- 2 Statutum a Confratria factum, vt nullus confratrum alterum confratrem coram iudice seculari, vel ecclesiastico super temporalibus, vel spiritualibus conuenire possit, nisi de consensu Prioris dicte Confratriæ, sub pena expulsiōnis a Confratria. neque malum est, neque contra libertatem ecclesiasticam; eo quod in effectu nihil aliud quam consilium Apostoli, quod habetur 1. Corin. 6. continet: Absurdum autem est aliquid ab Apostolo cōsultum, contra libertatem ecclesiasticam ceteris; Nec; statutum illud quēquam ad illud seruandum astringit, nisi volentem intrare Confratriam, quam nemo intrare cogitur; neque alia poena Confratrem punit, quam quod esse desinat illius confraternitatis frater, nec aliquod contra libertatem ecclesie bona fide seruans, censuram vllam incurrit ex Innoc. in cap. nonerit, de sent. excomm. & Nau. in Man. cap. 27. num. 119.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 1.

- 3 Index laicus al quem ab ecclesia exempta extrahens, nisi captum ecclesie restituat peccatum, & poena contra sic extrahentes illatam incurrit.

TITVLVS XXXVIII.

De Ecclesijs ædificandis, vel reparandis.

Hic titulus deest in antiquis.

SVMMA RIVM.

- 1 Pensionem habens super beneficio quando ad ecclesie reparationem tenetur.

DECISIO I.

Ex conf. vnico in Nouis, deest in antiquis.

- 1 Pensionem clericus super beneficio ecclesiastico, & fructibus eius, impositam habens, pro rata ad illius ecclesie reparationem tenetur, nisi pensio ita imposita fuerit, vt ab omni onere libera solueretur.

TITVLVS XXIX.

Ne clerici, vel Monachi secularibus negotijs se immisceant.

SVMMA RIVM.

- 1 Clericus beneficiarius, nec presbyter, nec monachus, ius ciuile publice sine dispensatione legere potest.
- 2 Presbyter Doctoratum in iure ciuili assumens nullam poenam incurrit.
- 3 Beneficiatus, sacris, & monachos ars medica est prohibita.
- 4 Bannitos a consue Gregorius XIII. non obligat, sed solum illis fauere prohibet.
- 5 Clericus patrocinando poenam nullam incurrit, nisi mors, aut mutilatio sequatur.
- 6 Tutelam, & curam Minorum suscipere nec episcopus, nec sacerdos secularis cogitur.

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 5.

- 1 Clericus beneficiarius, qui nec presbyter, nec Monachus est, sine vlla dispensatione ius ciuile publice legere potest, dummodo beneficia, quæ obtinet, nec dignitates, nec Personatus, nec officia sint; c. Multa. de præben. & c. super specul. Ne cler. vel Monach. cum clericis etiam in dignitate constitutis legum ciuiliū auditio tantum, & non prælectio prohibita sit, ex Nau. in Man. c. 27. nu. 16. Sed neque irregularitas ob prælectionem legum criminalium, neque propter Commentarios super illis compositos, sed tantum propter homicidium, vel mutilationem factam, ope consilio, vel auxilio ad id præstito, & ob eam præstationem consecuto, incurritur.

DECISIO II.

Ex conf. 2. in vtrisque.

- 2 Presbyter beneficiatus, dummodo leges ciuiles sufficienter calleat, Doctoratus gradum in iure ciuili sine incurso alicuius celsuratum, irregularitatis, aut sine amissione beneficii, assumere potest, vt ait Pan. in d. cap. super specul. Nec vlla opus est ordinarij licentia, quia eam ordinarius dare non potest; si tamen sine sufficienti scientia Doctoratum sumat, peccat quidem, ex Glof. in clem. 2. de Magistris, censuram tamen aliquam non incurrit.

DECISIO III.

Ex conf. 3. in vtrisque.

- 3 Clericus simplex, ordine sacro, & beneficio ecclesiastico carens licet officio, & arte medica vtens, non plusquam laicus medicus peccet; sacro tamen ordine insignitus, vel beneficium ecclesiasticum etiam non sufficiens victui honesto habens, eis vtendo peccat; cum officium seculare, cuius exercitium prohibetur clericis, & Monachis, vt colligitur ex toto tit. ne cler. vel monachi. & ex Concil. Trid. sess. 22. c. 1. de ref. exerceat; ita Nau. in Man. c. 25. num. 111. Nullam tamen censuram, aut irregularitatem ob solum artis medicæ exercitium, attentio solo iure communi incurrit, & nulla talis poena, nisi iure expressa sit, incurri solet, c. is qui. de sent. excomm. in 6. DE.